

C X L.

191

Vestigia literæ M. e regione D, quibus formula D. M. designabatur, in marmore apparent.

APER CONS. Ita ut edidimus exhibent hanc Inscriptionem MSS. Collectiones; Verum repurgato marmore, plane constat memorata verba recta linea scribi, ac proinde non Apri alicujus Consulatum denotari, sed Aprum servum fortasse aliquem Tigridi contubernali suæ, quam *consorcem* appellat, monumentum posuisse. Verbum *consors* post omnes dumtaxat barbarorum incursiones pro *conjuge* usurpatum colligi potest ex Cangii Glossario. V. *Consors*; tamen apud antiquos etiam aliquando in usu fuisse Inscriptio nostra evincit. Inde fortasse ea vox conjugibus aptari cæpit, quod non solum thalami confortes essent, ut ait Ovidius lib. X. metam.

Thalami consorte carebar.

verum etiam individuum vitæ consuetudinem haberent. Profecto plurimæ voces, quæ communi, vernaculoque sermone celebrabantur, in antiquis Scriptoribus, qui sedulo illas fugiebant, frustra requiruntur.

C X L I I. C X L I I I.

Duo cippi ejusdem plane magnitudinis, eadem Inscriptio-
ne insignes, visuntur alter in *Banchi* alter *Vinea Garvarena ad Arcus*; ambo ibi reperti fuerunt. Inscriptio-
nem edidit & Malvasia Marm. Felsin pag. 487. Sepulchri fines iisdem
inclusos fuisse nemo non videt.

C X L V I. C X L V I I.

Duo hæc fragmenta haud contemnendas olim Inscriptio-
nes exhibuisse facile patet. In priori enim **liBERAlitas**
CAESS trium Cæsarum commendari videtur, in altero **aGI-**
Tator aliquis **facTIONIS RV**stæ.

CXLVIII.